



I. N. S. T.

§. I.

Cum decretum nobis esset Disputationem suscipere paucorum dierum, nedum interruptum, otium, infima quavis imperans, materiam suggestit ex re, & nomine quidem imperio respondentem ast omine non item. Cumq; in foro temporis nulla daretur provocatio, necessum habui non ut volui, sed ut potui, procellosum hoc & syrtibus invium ingredi mare. Non idcirco mei humeri valent, nec ego pro hoc temporis habitu mihi sumo, hoc mare exploratum dare, tantum aliqua ejus phœnomena, & circa ea suspiciones, animus est facere ut speciem Dissertationis accipiant. Existimavi etenim me nec operam perditurum, si hoc potius quam aliud æquor sulcarem, etiamsi litora saltem legerem. Velis igitur ab æquis Censoribus, ventos spero placidos atq; secundos.

§. II.

Motus maris varii, commodè dividi possunt in Generales, qui omni tempore & fere omnibus in locis deprehenduntur; Vel speciales, quibus certæ quædam Oceani partes obnoxia sunt. Hi rursus vel perpetui, qui sine cessatione persistunt; Vel qui statis anni vicibus aut diebus recurrunt; Vel denique Contingentes, qui sine certo ordine modo cessant, modo incipiunt, quales qui à ventis proveniunt, & infiniti sunt. Ad Generales verò spectat Motus ille continuus ab Oriente in Occidentem, cujus beneficio occasum petentes, multò citius progredi quàm regredi possunt;